

gant Christiani quam olim. Ideo & multi intrant & pauci pro eis laborant, dum præcedentes & adhuc superstites utrinque segnes fuerunt & sunt, Papa eis isto saltem modo succurrit ad votum seu gratiarum actiones applicat in laudibus Dei de beneficiis sibi & Electis exhibitis.

CONCLUSIO.

Id itaque diligenter attendendum, ne indulgentia, id est, satisfactiones fiant nobis causa securitatis & pigritiae & damnum interioris gratiae. Sed sedulo agamus, ut morbus naturæ perfecte sanetur, & ad Deum venire sitiamus præ amore ejus, & odio vitæ hujus & nostri ipsius tædiosus. Id est, assidue sanantem gratiam ejusque ramos.

Der sel. Lutherus hat in diesem Sermon nach seiner Erkäntniss geredet und sattsam bezeugt, daß er eben kein Feind des Ablasses gewesen, sondern, nebst dem Geiß und schändlichen Practicken der Ablass-Krämer, darwider ernstlich geeyffert, daß man sich den Ablass am studio veræ pietatis, an ernstlicher Besserung und dem thätigen Christenthum hindern lassen; Da er in diesem wenigen treu war, hat ihm Gott hernach ein mehrers gegeben, daß er auch erkannt, wie der Päpstliche Ablass an und vor sich dem einen Grund des Heyls und der wahren Buße zu wider sey.

Sermo de indulgentiis pridie Dedicationis,

Anno 1517.

Them. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum. *Conclusio.* Quibus Christus aliquid est, illis omnia nihil sunt, quibus autem Christus nihil est, continuo illis omnia grandia sunt. Quid autem sit, Christum aliquid vel nihil esse, discamus a Zachæo, cuius affectus erat, ut Evangelista dicit, quod quærerebat videre Jesum, quis esset. Imo necessario sequitur, quod sublimiter de eo sentiebat, de se vero nihil: Deinde gaudet suscepto Christo. Ideo Christum aliquid esse est in ipso placere, delectari, desiderare, diligere, magni reputare, se indignum eo judicare & non querere ad habendum (quod est præsumtuosum) sed ad videndum tantum, ac omnes eos judicare, magnificere, prædicare, ad quos ille dignetur declinare, atque velut despere, nec unquam præsumere quod ad se veniat, licet paratissimum se sentiat ad suscipiendum eum, sed contentus sic se mirari, & obsequi illos, ad quos illum viderit ire. **H**ic pius humilis & rectus affatus

Eius solum Christum aliquid judicat. Econtra Christum nihil esse, est non in ipso delectari, sed in se ipso & in his, quæ sua sunt, imo contemnere & nolle eum desiderare. Sed sane notandum, quod sint diversimodi in Christo placitum habentes, eum cupientes, reputantes. Aliqui carnaliter, curiose, pueriliter, seu secundum suam opinionem, quales illi erant in Evangelio, qui tunc mirabantur, quod ad hominem peccatorem ivisset, cum ad se illum cuperent ire, quia se dignos reputabant. Hi sunt iniqui, qui potius se reputant & sibi placent, & sibi aliquid videntur esse, arbitrantes se sapere, intelligere, bene vivere. Et sic per Christum i. e. gloriam Dei suam gloriam querunt, ut puta pro confirmatione suæ dignitatis, Deum hospitem habentes, qui ideo ad eos declinarit, quia digni sunt, ideo eum reputantes, ut per eum reputentur; quod si non reputentur per eum, jam cessant eum reputare ac magni facere, & sic justificantur in opinione sua bona de se ipsis, quod ubi non fit, irascuntur & murmurant, vide-licet peccatores sibi præferri: Et statim proruit infelix superbia interior, in judicium temerarium, vel in ostentationem sui, in blasphemiam Dei, quoniam tam pulchre se ornaverat prius decoribus bonorum operum. Hi ergo sic Christum querunt, ut non per eum salvantur, sed ut salvos se testificantur. Non auctorem justitiae, sed testimoniem sanctificationis suæ reqvirunt, ac per hoc se meliores & superiores eo aestimantes. Ah! bone Deus, quam grandis stultitia est iudicatio proximi. Hic murmurant omnes, omnes temere iudicant; tam communis pestis est judicium temerarium etiam usque hodie, cuius causa est cœcitas magna & ignorantia sapientiae in mysterio absconditæ a sapientibus & revelatæ parvulis. Sunt enim stulti & crassi sancti, qui cum grossos defectus in se non sentiunt, nullos defectus in se statuunt. Ideo tutius est, multos magnos & crassos defectus habere quam nullos. Ratio est, quia cum omnis homo sit vanus & mendax coram Deo, soli illi hoc ignorant, qui in sensu & corde se tales non nihil inveniunt, ac in hoc contenti sunt, dicentes: Nihil mihi conscius sum, ergo in hoc justificatus sum: Cum hoc ipsum sit horribilissimum peccatum, non esse sic concium, quod sit justificatus ex eo.

Alii spiritualiter & vere, qui, ut dixi, non audent eum ad se cupere præ nimia sua indignitate & illius dignitate, & eo ipsis tamen vehementissime eum vocant, per negativam fortissimam concludentes affirmatiyam. Sic autem Deus queritur, dum non queritur, lauda-

tur, dum non laudatur, diligitur, dum non diligitur, petitur dum non petitur, pulsatur dum non pulsatur, dum fugitur ab eo, curritur ad eum. Qvæ omnia in Zachæo vide mirabilissime: Neqve enim pulchrius, ornatius modum vidi qvam hoc loco descriptum. Orationem enim veram nullus audit nisi Deus, nec homo ipse met, & est in oratione etiam mentali sicut in circulo, signo, cogitatione i.e. id qvod petimus, est velut circulus. Hunc nos Deo exhibemus, quando petimus. Hunc optime sentimus; Sed Deus illum intimi cordis fundum desiderii, qvod est supra omnem cogitationem, exaudit: Qvod cum facit, omnia admiratur accepisse se, qvæ non audebat petere, & sic verum est: Anima qvod petit non petit, & qvod non petit hoc petit, qvia nescit qvod petit: Sicut ut ait Christus & Apostolus Paulus: Sic sicut oportet orare nescimus. Sic S. Monica, ut ait B. Augustinus, exaudita est secundum cardinem desiderii sui. Exemplum Zachæus, qvi potuit videre Christum & non petiit in domum: At hoc maxime petitur, qvia patet, si qvis interrogasset, an vellet Christum in domum: Respondisset, utinam! Et cum alii, qvi petierunt, non sint exaudiiti, qvia desiderii cardo non petivit Christum, sed se ipsum.

Coroll. Nemo præsumat se petere vel orare recte, sed roget ut doceatur a Deo orare & petere. Hinc superbi in suis orationibus omnem diligentiam fecisse putantes, securi erunt, non advertentes, non timentes, ne forte malo fundo oraverint.

Conclusio. Patet ex Evangelio, qvod adeo Deus solum inqvirit hominis interiora & cor, ut si qvis omnia fecerit aut dederit, præter cor, nihil fecerit. Sic Prov. 4. Præbe fili cor tuum mihi, non manum, non denique corpus, sed cor, mihi non tibi. Sic Gen. 4. respexit Dominus ad Abel & ad munera ejus, ad Cain autem & ad munera ejus non respexit, qvod Apostolus Ebr. XI. sic exponit: Fide Abel plurimam hostiam obtulit qvam Cain. Ecce fides distingvit inter Abel & Cain. Et qvanta vis sit posita in hac re, ex contraria dispergientia patet. Nam Ps. 4. dicitur: Filii hominum usque qvo gravi corde? Ut qvid diligitis vanitatem & mendacium? Id est omnia qvæ sine corde offeruntur vana sunt & mendacia, in quibus tamen gloriari nisi ad confusionem vestram per cor grave. Et Ps. 4. Quadragesima annis proximus fui generationi huic, & dixi: Semper habent errorem corde, ipsi vero non cognoverunt vias meas, qvibus juravi intra me, si introibunt in requiem meam. Ecce sine corde semper

semper erratur, ira incurritur, reqvie privatur, vanitas qværitur, mendacium diligitur & confusio pro gloria qværitur. Nam Hebræus Textus sic habet sensum: Filii viri a usqve qvo gloriosi estis in iis qvæ ad ignominiam sunt? Dum diligitis vanitatem & qværitis mendacium.

Sic Dedications Ecclesiarum in ceremoniis & externis operationibus signa sunt cordis dedicandi Deo. Quid enim Deus tempulum signi curat, qvando templum signati non habet? Quid faceret homo homini, si qvotannis in negotio alter alteri registra & dicas afferret, & scriberet debita & facienda, nunquam tamen faceret? Nonne ille solum signa & verba tandem pertæsus, rumperet simul omnia? Certum enim est, hoc nolle hominem ab homine sustinere, & tamen Deus debet hoc assidue sustinere. Ideo ecce fit, ut saepius Ecclesiasticas fulminet qvam alias domus, qvod hic vanissimis signis tantum irritatur verius qvam colitur. Sed ad Evangelium revertamur & scrutemur, videamusqve mirabilia de lege Dei. Videmus hic Christum meum, cordium judicem & nullius personæ i. e. faciei sive bonæ s. malæ respectorem: Nam si personam respexisset, melior illa erat eorum qui murmurabant, qvam ad peccatorem divertisset, qvostamen deseruit, pejor erat Zachæus, quem tamen non veritus est. Illi enim seqvebantur eum & cupiebant, hic erat princeps publicanorum, illi boni, hic malus. Ex qvo id miraculum conficitur, qvod qui cupiunt Christum, non cupiunt, & qui non cupiunt, cupiunt, & ipse ad eos ingreditur, qui eum non cupiunt, fugit ab eis qui eum cupiunt. Hic igitur differentiam cordium & cupiditatis videamus, ut corde erudiamur in sapientia. Certum est, qvod illi desiderabant Christum ad eos ingredi, alioquin murmurassent, qvod ad Zachæum ingressus fuit; Sed cor eorum fuit perversum & vanum, qvod Christus vidit, ipsi autem non viderunt. Nam cor eorum fuit tale, qvod se dignos credebant Christi adventu, ac per hoc voluerunt per Christi ingressum suam dignitatem probari & commendari a tanto Propheta, ut diceretur: Ecce quanti sunt illi ad qvos tantus ingreditur! Sic, sic suam gloriam & suæ justitiae pompam in Christo qværebant, & qvæ sua sunt. Nondum erant vacui & inanes se ipsis, ideoqve indefensi sunt, qvod non eos glorificavit suo ingressu, dicentes, qvod ad peccatorem divertisset, quasi dicerent: Sunt hic multi justi tanta gloria bene digni, & peccatorem præfert. Vide ergo qvid faciat stulta superbia, qvam manifesta præferat peccata, scilicet

judicia temeraria, detractiones, invidias & iras. Sic, sic Christus in signum contradictionis ponitur, ut revelentur cordium cogitationes. **Q**uis enim nosset eos talia cogitare, nisi Christus revelasset? Nec ipsummet cor novit se talia cogitare, donec contradictione hujus signi reveletur. Christus autem non venit, ut testimonium perhibeat vanitati, ut approbet & justificet & glorificet justitias & probitates hominum, sed ut glorificet Patrem suum. Non ad gloriam justitiae nostrae, sed ad gloriam misericordiae & gratiae sue, ut Apostolus ait. Ideo non potest venire ad eos, qui sese dignos & justos putant, sed tantummodo ad miseros & misericordiae cupidos & gratia indignos. Sic patet, quomodo simul cupierunt & non cupierunt Christum, quia concupiscere isto modo, scilicet per se ipsum & finem gloriae sue, est potius non concupiscere.

Zachæus autem non cupiebat Christi adventum, & tamen cupiebat: Qvod non cupiebat patet, quia adscendit tantum ut videret transitorum, non autem presumebat, nec audiebat cupere ingressum. Patet enim manifeste, quod non se dignum putavit, quia voluit esse contentus eo viso & latere postea, non enim habuit, unde gloriosum sibi foret, Christum advenisse: sciebat sese non mereri praeceteris omnibus, quod autem cupiebat patet, quia accepit illum gaudens: **G**audium enim est signum praecedentis amoris & cupiditatis. Si enim quis ipsum interrogasset, velletne Christum habere? Respondisset, non audeo optare nec velle. Illi autem respondissent: Utique & spero sic futurum. Videte ergo profunditatem cordis humani, cuius veritas tam intima est & tam secretum velle, ut nesciat sese nec gaudeat velle, solummodo sentitur & vivitur hoc velle, non autem elicetur. Hoc est rectum cor, haec sunt interiora hominis. Unde dicit Christus: Hodie salus huic domui facta est a Deo, hinc hinc justus, quia haec est domus mea: Et iterum, eo quod & ipse sit filius Abrahæ: Ipse, ipse, non illi. Ecce ergo quomodo offenduntur illi, quum non fecerit ut offenderentur ad malum? Quia potuisse hunc Zachæum occulte vocare ad gratiam, sed voluit id manifeste fieri, ut illi falsam justitiam propriam agnoscerent & Zachæo similes forent. Et sic per unius Exemplum voluit omnes a morbo sanare, licet illi abusi sint medicina hujusmodi, unde & concludit: Venit enim filius hominis, querere & salvum facere, quod perierat. Non venit glorificare jam justos & salvos, voluit ipse eos offendi non ut caderent, sed ut se ipsos agnoscerent, quoniam plenierant gloria & amore sui.

Hoc

Hoc autem vitium est in quolibet homine nisi per gratiam sanetur, & fuit ab initio mundi, eritque usque in finem, quia querit in omnibus, etiam in Christo, quae sua sunt. Regnat autem potissimum nostro tempore, ubi *populus per seductores, fabulatores &c.* in istud vitium ducitur, qui debuit potius reduci. *Quales sunt qui indulgentias prædicant, * de quibus ex. gr. Et quia id multi petierunt, pauca dicam: Dixi enim de iis alias plura, maxime cum sit præ foribus pompa ista indulgentiarum: Ut sim ego excusatus, & vos a periculo false intelligentiae eruamini.* Primum protestor, quod intentio Papæ est recta & vera, ** saltem ea quæ jacet in literis, syllabis. Secundo forte & verba eorum, quæ buccinant, sunt vera in aliquo sensu; sed tamen vis est quædam, non dicuntur vere, vel non intelliguntur recte. Sciendum itaque, quod tres sint partes pœnitentiae, secundum usitatum modum. Melius autem sic: *** Duplex est pœnitentia, scilicet signi & rei. Rei est illa interior cordis & sola vera pœnitentia, de qua Christus dicit, pœnitentiam agite, & Petrus Act. II. pœnitemini & convertimini. Signi est illa exterior, quæ freqventer est facta, cum illa interior sit facta saepè, & hæc habet duas illas partes, Confessionem & satisfactionem, de qua Lucæ III. dicit Joh. Baptista: Facite ergo dignos fructus pœnitentiae. Confessio iterum duplex est, publica & privata. De publica dicitur Jac. ultimo: Confitemini alterutris peccata vestra: De privata nescio ubi Scriptura loquitur: Idcirco Dominis Juristis eam commendo, ut ipsi probent, ubi de jure divino probentur satisfactio & Confessio *ut nunc sunt in usu.* Nam satisfactio illa, quam Johannes prescripsit Lucæ III. est totius vitae Christianæ officium, & generalis omnibus imposita & publica. Privata vero Confessio & satisfactio fateor me nescire ubi doceantur & præcipiantur.

Conclusio. Indulgentiae præreqvirunt, imo ad contritionis veritatem debent prodesse aut sunt maxime; tollunt autem nihil aliud quam privatæ significationis impositiones. Et sic timendum quod freqventer cooperentur contra pœnitentiam interiorem. Nam pœnitentia interior est vera contritio, vera confessio, vera satisfactio in spiritu: Quando pœnitens vere purissime sibi displicet in omnibus, quæ fecit,

Aaa aa 3

&

* Mascula vox contra Tezelium & ejus gregates.

** Verba reverentie & amoris, omnia in melius interpretantur.

*** Aurea observatio.

& efficaciter convertuntur ad Deum pureque agnoscunt culpam, & Deo confitentur in corde: Deinde per sui detestationem intus se se mordet & punit, ideo ibidem Deo satisfacit. Imo vere pœnitens vellet, si fieri posset, ut omnis creatura suum peccatum videret & odifset, & paratus est ab omnibus conculcari. Non quærit indulgentias & remissiones pœnarum, sed exactiones pœnarum. Unde duplex est contritio seu pœnitentia interior, una scilicet facta, quæ vocatur vulgo (Galgen-Nieue) quod facile videtur in iis, qui statim recidivant & saepius ita ruunt. Hi sic dolent de peccato, quod plus de pœna peccati: Et nihil aliud displicet quam displicantia Dei in peccato: Mallet enim ut peccatum placeret Deo, & sic Deum injustum optat. Hæc res perversissima est, sed frequentissima, quia timore pœnae & amore sui justitiam Dei odit & suam iniqvitatem diligit, pœnam enim odit. Alia est vera, de qua dixi, quod amore justitiae & pœnarum odit peccatum, quia cupit ulcisci justitiam læsam. Ideo non petit indulgentias, sed crucis: Sicut legitur in multis legendis, ut de S. Paula, quam S. Hieronymus prohibuit ne fleret, & ut mitius se castigaret, illa noluit etiam cum dispendio salutis corporalis.

*Videte itaque, quam periculosa res sit indulgentiarum prædicatio, quæ præcisa gratia docet, scilicet fugere satisfactionem & pœnam, ita ut operatio erroris esse timenda sit, quam Apostolus prædixit. ** Quæ enim facilitate simul & semel possunt prædicari contritio vera & tam facilis largaque indulgentia? cum vera contritio rigidam exactiōem cupiat, & illa nimis laxet. An excusabimus, quod de contritione perfectorum ista intelligenda sint? Ac sic non esse necessarium, homines ad perfectam ducere. At cur ergo meretrices & Publicani incipiunt ab hac contritione? Imo ad hanc omnes sunt exhortandi.

Sermo Die S. Matthiæ A. 1517.

Abscondisti ea sapientibus & intelligentibus & revelasti parvulis, Matth. XI. Homo abscondit sua ut neget; Deus abscondit sua ut revelet. Abscondit enim sapientibus & magnis, ut humilientur & insipientes fiant, & sic parvulis revelet, hoc enim placidum est coram eo & optima voluntas, justa & recta & sancta. Et quæ melior voluntas quam quæ sua absconsione nihil aliud facit quam ut impedi-

men.

* Prophætica vox Lutheri de revelatione Antichristi per Indulgencias.